

maculatâ Conceptione col. 208. adjungens Nostrum in Epistola de Libro D. D. Petri Arequipensis pro certitudine præservationis Virginis Deiparentis à peccato originali, multa id argumenti lumina conscripisse.

Orationem funebrem habitam Mexici in justis Hispaniarum Principis Serenissimi Balthassaris Caroli Austriaci. Mexici typis V. Bernard. Calderon anno 1647. Extrat in Bibliotheca Regalis Augustiniani Collegij Mexicci Divi Pauli, cujus memoriam habent eadem Bibliotheca Franciscana & Pinelus in Epit. Occident fol. 923 col. 4. habemus eam t. 27 Coll. nostr.

Sermones varios, pro ut è Bibliotheca Franciscana didicimus, quæ Authorem secuta Chronicorum Provinciae Limentis XII Apostolorum F. Didacum Cordova lib. 6 cap. 7 illorum meminit. Addit ex Wadingo & Sanning. suis, è quæis secundus præmanibus habuit libros,

Cursum integrum Artium ad prælum paratum Romæ, quem tamen ineditum, ut remur, mansisse dolemus.

Superaddendi insuper sunt *Tractatus Theologici*,

Quos apud Limentes & Neapolitanos è suggestu dictavit, nos que cujus signatim argumenti singuli fuerint, præterit. Ad extremum Bibliotheca Franciscana tom. 3 inter Appendices suppeditavit nobis perpulerum Tractatum anno 1649 editum à Nostro

De novis Missionibus Franciscanorum apud Sinas & Tartaros, incipientem D. Marcos.

Acta ejus Mexice tradidit Berancurtius in de illustribus Provinciae S. Evangelij viris, post Menologium pag. 147. n. 30. Reliqua è Memoriali supra indicato alijsque Monumentis hausimus.

648 D. D. BRIXIANUS DIEZ CRUZATE, Natione, ni fallimur, Mexicanus, Doctorali redimitus insulâ in Academiâ nostrâ, Cathedram tenuit aperiendis Institutionibus Justiniani Regijs factionibus destinata, cujus nactus est administrationem, quadriennio habendam, anno 1613. scholasticâ de more præviâ inter candidatos concertatione. Tradidit auditoribus suis

Selectas aliquot Institutionum explicationes.

Ejus est memor Plaza in Chonic. Academicis lib. 3. cap. 16. n. 77.

C

649 D. D. CAIETANUS DE ARMENDARIS, Natione Mexicanus & Patria, è nobili Familia progenitus, ubi Latinitatem hausserat & Aristotelicam Philosophiam apud Maximum Soc. JESU Mexicicum Collegium Academica que Gymnasiâ, lauro donatus, Apollineam sibi Facultatem excolendam delegit, quam ita demum meditatione scholasticâ &

con-

concertatione primum, mox etiam practicâ tenuit exercitatione & observatione, ut ad Baccalaureatus gradum Doctorem pileum adjecerit, isque unus è primoribus Medicinæ suâ ætate fuerit, petitisque ejusdem Cathedris, eam octo virorum suffragijs suo jure regendam assumpserit, quæ exponendæ Chirurgiæ, Anatomixque tyronibus aperiendæ destinata est. Singulari in docendo & agendo peritiæ medicæ pietas etiam multa sociata, ceteraq; christianæ officia virtutis, quæ usu tenuerat, nomini splendorem & decus superaddidere. Ad sublimiora optatum subsellia mors immatura tulit, ad quam se apostitissimè comparaverat. Ejus, quæ Academica tabularia nobis exhibent, Scripta subnectimus

Opusculum de vasibus lacteis & actu chylifero.

Opusculum de cordis fabrica.

Opusculum de liene & ejus officijs.

Opusculum de pancreato & succo pancreatico.

De Chirurgia in genere.

De secunda Anatomia parte.

Opusculum de motu sanguinis circulari.

Opusculum de partibus corporis simularibus.

Opusculum alterum ejusdem argumenti.

Opusculum de musculis & eorum motu.

Opusculum de Gula & Esophago.

650 F. CAIETANUS DE BAR-

REDA, Natione Mexicanus & Patria, Regij ac Pontificij Metropolitanæ Ecclesiæ Collegij Seminarij à S. Paulo & Purissimâ Conceptione nuncupati alumnus, Latinis postquam ejus in Gymnasijs operam dedit & Rhetoricis disciplinis, Philosophicas avidè aggressus, moxque Theologicas inibi & in Academiâ palestra, minores utriusque Facultatis gradus, deincepsque Doctoratum in sacra tenuit egregio sibi nomine comparato. A Collegij sui Judicibus, præmisso, ut fit, horariæ Relectionis examine consueris que pro regendis Cathedris probationibus, Philosophiæ destinatus Professor, multis ipsam & domesticis & extraneis auditoribus tradidit fructu neutiquam penitendo. Triennio absoluto, interstitijsque factis, eandem iterum adornavit spartam ab anno 1728 Cursum Philosophicum auspicatus, quem ad exitum, secundâ quidem sorte, deduxit. Tum, Libros quibus unicè delectabatur, diu noctaque evolere pergens, atque Ecclesiasticis ministerijs insistens (erat enim Sacerdotio initiatus) aptissimus visus est Archiepiscopo Mexicano, qui Collegio præficeretur. Rector institutus, huic strenuè muneris invigilavit, convictorum in doctrinâ & virtute instituendorum curam sollicitè agens. Hæc inter ipse quotidie doctior & ad speranda majora in Ecclesiastica Republica litteris & gestis paratior,

Y2

rior, abdicari se officijs constituit & seculo, atque Ordinem Minorum nudipedum in Provincia S. Didaci Mexicana ingressus est, in qua, post emissam professionem, Apostolico mancipatus Collegio de Pachuca pro sacris Missionibus ab eadem Provincia alumni suis isthac optantibus instituto, & conciones pro reformandis moribus habuit, & Fidelium confessiones excepit, & ceteras austeræ vitæ exercitationes Sodalium aliorumque edificatione petegit. A Superioribus unâ cum P. F. Joanne Lara Mexicano, ejusdem Provinciæ alumno, quondamque Lectore, ad barbaros Indos incolas de Sierra gorda cicurandos & sacris nostris instituendos amissus, pedes iter arripuit, multisque exantlati laboribus, Indos Jonaces dictos ad politicam societatem & Pagos traduxit, Catholicâ luce donavit, ac Christo lucrificavit. Inde, obedientiâ duce, Goaxacensium Urbem Primariam Antequeram petiit, arduum iter pedibus etiam agens, insimulque Apostolicis concionibus obvios Populos admonens & ad penitentiam instimulans. Ubi Missiones sacras urbanas juxta & rusticas apud Goaxacenses obierat, reducem ad Indos superius dictos (Sodalem ut agrotum comitaretur) Simapanum ingressum pramatura ipsum mors, cælo, ut piè credimus, inferendum extinxit. Scripsit

Cursum Philosophicum juxta firmiorem Angelici Præceptoris doctrinam elucubratum. Extat Mss. in quarto apud Bibliothecam memorari supra Collegij à S. Paulo Seminarij.

Tractationes Theologicas aliquot. Sermones Panegyricos & Morales à se dictos.

Sermones pro Missionibus multo unâque Conciones de Doctrina Christiana & pijs alijs argumentis apud Symmistas suos extantes Mss.

651 D. CAIETANUS DE CABRERA ET QUINTERO, Natione Mexicanus & Patria, jactis altè pro amenioribus litteris fundamentis, Philosophiam apud Seminarium Metropolitanæ Ecclesiæ Collegij S. Pauli & Purissimæ Conceptionis & Universitatis Aulas accepit, cujus insignis laureâ, Theologiæ cultoribus adscriptus, primosque inter habitus, Facultatis ejusdem gradum etiam adeptus est. Academiam S. Philippi Nerij pro Theologicis exercitationibus Panegyricisque juxta & pulcherrimis alijs elucubrationibus pridem conditam, plures annos adivit, domique & foris pro multâ cruditione variâque comparandâ laboravit. In Poesi, sive Hispana, sive Latina assiduè ac feliciter exercuit se, ac Hebraico & Græco capiendis sermonibus operam posuit, quibus itidem nonnunquam scripsit. Pro Latio tradendo suis ephæbis idiomate Præceptor institutus fuit ab Excmò. Illmòque Viro D. D. D.

D. Joanne de Vizarron & Eguiarreta Arciepiscopo Mexicano juxtaque Pro Rege. Initiatus Sacerdotio, sacris concionibus habendis, excipiendisque confessionibus deditus, quas diu imbiberat diviniore litteras, itemque expectantes ad mores, usui in presentiarum habet: cujus subinde causâ, & consuetudinis quæ nobiscum intercedit, elogio parcimus, indicamusque Opera & typis commissa, & adhuc inedita, quibus etiam juvenis & Philosophicis ac Theologicis vacans studiis operam dedit. Excusa hæc sunt.

Hymenæus celebratus, sive de Nuptijs Ludovici Hispaniarum Principis & Aloysiæ magno plausu Mexici celebratis. Mexici, anno 1723. Poeticum prorsus Opus & bilingue, duobus primis libris latinè scriptis versu heroyco, cæteris usque ad octo patrio sermone: In Latijs, Claudiani, in Hispanicis carminibus Ludovici de Gongora pharsim sequi & stylum Author sibi proposuit, & Codicem non exigui corporis Marchioni de Casafuerte Mexicco Pro-Regi dicavit.

Sapientia sidus, Minervalis Hesperii ascensus Doctoris scilicet D. Joannis Josephi de Eguirava Philosophiæ professoris ad Vesperinam modò Theologiæ Cathedram proveffi. Mexici typis Josephi Bernardi de Hogal 1725 in 8. Est quidem Latinum insignique Poema, ex Claudiani imitatione, argumento quod

sibi vates proposuerat, accommodatissimum, nobilissimo Viro D. D. Joanni Hsidoro Velasquez de la Cadena è primoribus Mexicis nuncupatum.

Descriptio gratulatoria Templi Canobijque à Corpore Christi Domini nuncupati, proque Sanctimonialibus Indis erecti pietate Excmi. D. D. Balthassaris de Zuniga Sotomajor & Mendoza, Marchionis de Valero, Hispaniæ Magnatis, Mexici Pro-Regis &c. Mexici litteris Josephi Bernardi de Hogal 1724, in quarto. Opusculum est idiomate Hispano & caractere Historico conditum.

Aquila mystica in Carmeli verticibus exaltata: Triumphalis Arcus nomine sacri & universi Prædicatorum Ordinis à Sapientissimo ejusdem Familiæ Collegio Mexicco de Porta Cali erectus pro colenda S. Joannis à Cruce, Carmelitarum Excalceatorum Parentis ac Reformatoris, Apoteosi Sacrà Mexici solennissima supplicatione auspiciandâ. Mexici, eisdem typis, habeturque unâ cum alijs ejusdem argumenti Opusculis in Libro *Secunda Quinta decima Januarij Mexicca* edito anno 1730. à pag. 169. ad 234. Scriptum hoc partim solutâ oratione, partim adstrictâ numeris, iisque Latinis pariter & Hispanis, Inscriptionibusque, amenissimè ad propositum est compactum.

Spirans exemplar magnanimi sacri Machabai Joannis Hircani Illmùs D. D. D. Joannes Antonius

nus de Vizarron & Eguarreta Archiepiscopus Mexicanus, expressum triumphali fornice eidem fauste excipiendō erecto ab eisdem Ecclesiā Metropolitana. Mexici ex eadem Officina 1732 in quarto. Extat tom. 61 Collect. nostrā, similique ac præcedens Opusculum methodo præfens floridissimā concinnatum vernet cruditione.

Index Poeticus vitæ Seraphici Parentis S. Francisci Assisiatis. Mexici, ex eadem Officina 1732 in octavo. Est epicum Poema Hispanis acutissimis numeris totam quanta est apud Illmū. Historiographum Cornejo vitam admirabilis S. ob oculos ponens, imitaturque Author inclytum Poetam D. Antonium Hurtado de Mendoza in Vita Deiparæ, & si nostri Opus sit numerosius & fufius.

Brevis ratio ideæ Statuarum & Inscriptionum, quas nobilissima Pictorum ars sumptibus disposuit & curis ipsorum, pro ornatu comitatuque admirabilis Deiparentis Iconis à Subsidiō nuncupata apud Moniales S. Joannis de Penitentia, in anniversariā supplicatione solennius habendā. Mexici, ex eadem Calchographia anno 1733. in quarto. Extat tom. 37. Collect. nostrā, atque in hac opella profā simul ac metro latinè & vernaculè Author minus pulchre suum executus est.

Hebdomarium Trinum, seu, Præfissimā pro colenda per tres hebdomades Augustissimā Triade preces & exercitationes Hispano sermone.

Mexici, mox dictis formis anno 1745. in octavo.

Patronatus Disputatus, seu Dissertatio Apologetica pro Voto, Electione & Juramento præfrito Virgini Deiparenti sub Imagine Guadalupā Mexicā in Patronam assumptā. Mexici, ex Regia Typographiā D. Mariæ de Ribera anno 1741. in quarto. Libro huic occasionem præbuit Angelopolitanæ Ecclesiæ Cereemoniarum Magister D. Joannes Paulus Zetina Infante, qui scripto Opusculo contendērat, non dum Ecclesiasticum persolvi officium posse de Communi, ut dicitur, sumptum, die Guadalupanæ Deiparentis vorivā, ante quam Patronatus à S.R. C. approbaretur; Nostro contra nitente propugnanteque ritè & rectè id honoris & cultus in Diocesi Mexicana tributum esse Patronæ suæ, nec abfimiliter in a'js Ditionibus fieri debere.

Stemmata Mexicæ: Cælestis Nobilissima hujus Civitatis, Novæ Hispaniæ, ac totius fere Novi Orbis Protectio MARIA SS. sub mirabili Imagine Mexicani Guadalupij, jam inde ab anno 1531. in Palatio Archiepiscopali mirè apparente: anno vero 1737 in præcipuam Patronam Juramento adscita, occasione pestis quæ savius Indos invaserat, defervuitque sub ejusdem Virginis umbrā & Imagine. Mexici, typis V. Josephi Bernardi de Hogal 1746. Liber hic in folio idiomatico Hispano conscripturn, & Catholico Hispaniarum Regi ac Indiarum Im-

peratoti D. D. Fernado VI nuncupatus, sumptibus prodijit Nobilissimæ Urbis Mexicæ, quem jussu Exmī. & Illmī. D. D. Joannis Antonij de Vizarrō & Eguarreta Mexicani Archiepiscopi atque Pro-Regis, Author aggressus est, & ad finem dedaxit, Historiā non modò contagiola luis, atque horum quæ pro ea longè abigenda peracta sunt, exactè relatā, sed verò etiam pluribus, saceris præsertim, Civitatis, Ecclesiæ, Religionum, Imaginum, idque genus aliorum Monumentis bono in lumine collocatis: ijs autem in primis omnibus, quæ miraculo depictam Guadalupanam Deiparentis Iconem ante geminum seculum tradunt, impensèque eidem religioni & pietati expendendæ ac fovendæ concernunt.

Julius Maximinus verus ex Julio Capitolino sumptus & descriptus: Triumphalis fornix à Mexicā Urbē erectus pro excipiendō Pro-Rege Exenō Comite de Fuenclara, &c. Mexici anno 1743. in quarto.

Novus Ulysses, seu Arcus triumphalis eidem Principi dedicatus ad Metropolitanæ Ecclesiæ limina & porticum. Mexici eodem anno in quarto.

Gemina aliā similis argumenti scripta Mss habet pro ingressu Pro-Regis Ducis de la Conquista. Ad Mss venientes, cætera sunt illa.

Comædia ex Indicis Historijs formata, cui titulus hispanus: La

Esperanza malograda, h. e. Spes frustrata, eo tempore quo Author Philosophiæ addiscendæ vacabat, composita, quo etiam permulta alia Panegyrica metro condidit, itemque profā, Allegationes pro Philosophica lauro, & similia, quæ in unum compaginata volumen ab eruditis & curiosis servantur.

Comædia altera, cui nomen hispanum: El Iris de Salamanca, h. e. Iris Salmanticensis, ex Historia S. Joannis à S. Facundo compacta; quæ quidem Comædia magno spectantium plausu in publicis Mexicanis Theatris septies & amplius, etiam Pro-Rege spectante & laudante, fuit acta.

Poemata, Emblemata, Panegyrica, in Regnorum abdicacionem factam à Philippo V Hispaniarum Rege, & in Regiam augurationem Ludovici I: Quæ inter extant speciosiora quedam de Aquila bicipite, tum temporis à Goaxacensibus adinventā & captā: de qua ad duos Reges eodem Hispaniæ Corpore, cademque Coronā conjunctos variè Author lusit. Horum plura manu exarata sunt; nonnulla excusa in Libro, cui titulus: Litera laureate, Mexici impresso typis Josephi Bernardi de Hogal anno 1724 in quarto.

Apollinis gemitus in præcisi Hyacinthi morte, seu Philippi V Hispaniarum Regis questus in funere Ludovici I Hispanorum item Moarchæ: Apparatus funebris pro Exequijs ductis à S. Inquisitionis Tribunali Mexicæ apud Templum S. Do-

minici 18 Maji 1725. Codex est
julli corporis, Inscriptionibus
Numerisque Latijs & Hispanis ad
rem constans aptissimis.

Allegoricum symbolum recens na-
ti Pueri Jesu, Purpura. Certamen
est, ut dicitur, Poeticum Acade-
micum tam solutâ quam metricâ
oratione, Romanisque & Hispanis
numeris pulchrè compositum.

Stadium litterarium, seu Certamen
poeticum pro Marianâ Concep-
tione plaudendâ, dato varibus Atalantæ
argumento similique modo
ac præcedens elucubratur.

Trecenta ferè Latina Epigrammata,
singula ad litteram metris Hispani-
cicis vulgo Decimas, traducta, varijs
distincta Libris & justo Volumine
compaginata.

Varia omnis metri & mensura
Poemata Hispanica sacra, volumi-
ne alio contenta.

Elogia Latina seu Epigrammata
numeris dissoluta fere ducenta in eo-
rum imitationem que extant edita
ab Emmanuele Thesauro & Aloy-
sio Giuglar.

Vita S. Rosæ Virginis Limensis
slylo elegiastico latino concepta.

Dies sacer, tot horis quot hodie
expressus: Hymni & Ode in hono-
rem Dei Trini & Unius, Christi
Domini Crucifixi, Purissime Deipa-
ra, & Pueri Jesu in Berlemitico sta-
bulo vagientis & cetera. Pro no-
mine Authoris hoc Dylthicon

Autorem queris? De tot quot
pasta Maria,
Ni Capra summa petens,
hadulus unus.

Hymni omnis generis & mensura
ad imitationem Prudentij, christia-
nissimi Poeta, varijs titulis, scilicet:
Turris anime: Horologium ro-
tarum: Horologium selare: Quinque
Zona: Hortus, sive unico flore Ro-
sarium: Mars sacer, & cetera, quo-
rum argumenta omnium pia
sunt.

Inter purè humana Authoris
scripta censemus sequentia.

Liber variorum Epigrammatum,
quibus junguntur aliqua è Greco in
Latinum, alia è Latino in Græcum
traducta.

Juvenalis Hispanus, sive variarum
traductio Satyrarum Poetæ hujus,
metro quem Itali incatenato, His-
pani tercetos vocant. Quod tamen
Opus incæptum Author reliquit
lubricitatem vatis pertectus, quam
vix & ne vix quidem celari pos-
se vidit.

Horatij difficiliores Satyræ & Ser-
mones, & aliorum Poetarum aliqua
hispana factæ.

Orationes Latine varijs argumentis,
Philosophicis, Medicis, Juridicis, Po-
liticis, atque etiam Theologicis.

Orationes Hispana Academica va-
ria.

Apparatus funebris pro justis sol-
vendis admodum R. P. F. Roderico
Hieronymo de Venegas Ordinis S.
Joannis de Deo Generali, &c. In
Conventu Mexiceo ejusdem Institutii
9 Decembris 1736.

Hesperia cor Philippus V, seu
Pompa pro ejus instauratione funebris
Mexici acta à Senatu Fidei 31 Mar-
tij 1747.

Grammatica sive Ars Hebræa si-
mul & Græca, quibus Alphabeta
præferuntur versu heroico latino; Opus
utrumque valde prolixum, ubi
Author metro ligatus cuncta quæ
de utriusque idiomatis dialecto,
præceptis & pronuntiatione præ-
scribuntur, exiguo corpore, labo-
re non exiguo contraxit.

Artem itidem Mexicanam in-
dustriè confecit.

His Theologica adjiciuntur
Opuscula Scholastica & Moralia.

De Constituto divina Nature,
De Christi Domini libertate morien-
di & præcepto, & alia.

Basis Theologia Moralis, sive de
usu & abusu opinionum probabilium
Epitome: Cui, in modum Logistice,
implicatiois longè Labyrin-
thi filum aureum carmen lubscrip-
sit heroicis constans.

Quæstiones variæ ad omnes fere
dist. lib. 4 Magistri Sententiarum.

Succus Illmi D. Montenegro &c.
Itinerarij ad Indorum Parochos.

Conciones Panegyrico - Morales
amplius 50 collimantes in Sacram Jesu-
Christi Domini nostri Cor, ejusdem
Mysteria Vitæ, Passiois & Mor-
tis, aliaque expendentis ad mores, ha-
bitæ ab Authore in nocturnis exer-
citationibus coram illustri pioque ejus-
dem Sacratissimi Cordis Sodalitio ad
S. Spiritus Mexiceum ordinariâ Au-
thoritate decennio ab hinc retrò insti-
tuto, dein Pontificiâ Autoritate au-
cto. Tom. 2 in quarto.

Conciones Morales & Ascetica
maximam partem pro excitandis ani-
mis, cum ad compensandum illatas

Jesu-Christo Assertori nostro injurias,
tum ad eas propulsandas qua signa-
tius Augustissimam impetunt Trini-
tatem. Quibus accedunt dictæ ad re-
ligiosas Virgines Horrationes in
quarto.

Orationes Evangelica, seu Sermo-
nes Panegyrici & Morales supra
60 apud spectabiles auditores habitæ
ab Authore, & tribus in quarto
tom. compaginati.

Narratio persecutionis laborum
que Christianitatis apud Provinciam
de Fogan in Sinarum Imperio: Cu-
stodia vinculaque, Religiosorum Mis-
sionariorum ex Ordine S. Domnici
in Provincia SS. Rosarij Philippina-
rum: Obitusque & Martyrium Illmi.
& R. D. D. F. Petri Martyris
Sanz ejusdem Ord. Provincia, Epis-
copi Mauricasti, Vicarij Apostolici
Provincia de Fokiem.

652 F. CAIETANUS A JEST,
Natione Mexicanus, Parente apud
Goadalaxarense Novæ Gallicæ
Regnum Præfide, genere admo-
dum claro, usus, Angelopoli hu-
maniores litteras Philolophiam
que & Theologiam hausit à Re-
gijis S. Joannis Gymnajijs, Mex-
icique lauream Academicam tu-
lit. His comparatus, Ordinem
Carmelitarum nudipedum pro-
fessus est ad S. Alberti Mexica-
nam Provinciam, cui ornamen-
to fuit & decori. Philolophiam
è suggestu triennio exposuit Fa-
miliæ juvenibus ad S. Joachimi
Collegium non longe situm à
Mexiceis pomarijs liberalibus ar-
tibus operam dantibus. Tum in
S.

Angeli Cuiocanenſe Athenæum longius poſitum, deſtinatumque ad Scholaſtica profeſſionē Theologia & Sacrarum litterarum interpretationem, amiſſus docendi gratiā, diu Cathedras moderatus eſt ad Primariam uſque. Cœnobium Mexicæ Prioris agens vices religioſe & prudenter rexit, quo tempore & alijs etiam multis, Eccleſiaſtem egit haud vulgari auditorum æſtimatione, doctiſſimis ipſum hominibus effertentibus, quæ ab utriuſque ſuggeſtus peritiā, eruditione, & religioſā obſervantiā percharus erat. Precofit ſublaturū ē vivis morte, quam ſanctē optijt Mexici anno proximē clapſo 1753, chariſſimū nobis caput intimo animi ſenſu in præſentiarum quoque dolemus. Scripſit

Tractationes Theologicas varias,
Et

Conciones plures ac eruditas, quarum Schedas credimus à Sodaliſtibꝫ cuſtodiri.

653 D. CAIETANUS DE SOTO, Natione Mexicanus, in Civitate Tolucenſi Diceceſis Mexicæ natus, latinè inſtructus, apud Regium & Pontificium Seminarium Collegium Metropolitanæ Eccleſiæ à S. Paulo & Puriſſimā Conceptione dictum, alumnus, Philoſophiam, nec ſine laude, coluit atque Theologiam, laureis que utriuſque Facultatis minoribus, majorem Doctoratus adiecit, Theologorum Confeſſui, eorandem ſuffragijs adſcriptus.

Subtiliſſimi Doctotis Scoti Cathedram Univerſitatis regendam ſuſcepit, quoad prolixā contentionis funis eſt ductus de Proprietate ejuſdem ſuggeſtus, ubi Antecceſſor ejus Doctor F. Joannes Dominicus de Leos, Serapici Ord. in Prov. S. Evangelij Præſes Emeritus, Emeritus quoque in Academia poſt 20 profeſſionis Scoticæ Cathedræ annos eſt renunciatus. Noſter interea ſcripſit, tradiditque auditoribus ſuis ut ex Annuis Academia Læctionibus compertum habemus:

Tractatum de Vita Chriſti.

654 D. CAIETANUS DE TORRES, Natione Peruanus, in Provincia Caſtellæ aurifera progenitus, educatusque ut decebat præclaros Parentes, & primis litterarum rudimentis inſtructus, ſtatim Mexicanas deductus in oras, operam dedit Latinitati, nomenque Regio S. Ildeſonſi Collegio. Inde Maximum SS. AA. Petri & Pauli pro imbibendā Philoſophiā adiens, primus inter ſocios evaſit cum ibi, tum etiam in Regia Univerſitate, laureā meritoque conſpicuus. Theologiæ auſpicatus quadricennium, ita demum frequentatis minervalibus atrijs & ſcholaſticis Collegij Sodaliſtijꝫ abſolvit, nulli ut in Theoloſophiā concederet. Hinc quinquennio incubuit Juri Canonico, progreſſu in hac etiam Facultate neutiſquam penitendo, cujus lauream adiecit priſtinis, quas in utrāque ſophiā retulerat. Interca Præſidem in Co-

Collegio ſuo pro Academicis Theologorum exercitationibus egit, que Speculativam attingent partem, quæque etiam Practicam & ad dirigendos mores uſui futuris. Præter alia publicæ habitata, nec vulgaria, litterarum pericula, ſolennius longè fuit memoratuque dignius, quod per diem integrum ſubiijt coram Illmō. atque Excmō. Archiepiſcopo & Pro Rege Mexicæ D. D. D. Joanne Antonio de Vizarron & Eguiarera, Mecenatē concertationis à Collegio inſtitutæ plaudendi ergo ampliſſimam Aulam, primamque nobiliſſimarum Adium à fundamentis egregio opere inſtauratarum; matutino tempore Scholaſticam 18 titulis, multis que problematis Theologiam expoſuit, veſpere autem 6 ex utroque Jure Materias deſenſandas exhibuit, reſponſis Theologicis ac Juridicis argumētationibus Scholarum datis more, Oratorum genio præponens amœnas comptas que his Allocutionibus reſponſiones, quas in honorem Mecenatis & Operis arguentes ſuis præmiſerant objectionibus. Nec enim ſeverioribus contentus, pulchras neglectui habuit litteras, imō ſauſte & Poëſim & Oratoriam & Hiſtoriam excoluit. Adhæc Regiam ejuſdem Collegij trabecā prælectione ceteriſqꝫ de more petivit ac tenuit. Mox Doctor Theologus Mexicanus inauguratus, pro regendā quadriennio Primariā Sacre Facultatis Cathedrā An-

reſſori rite donato ſuffectus eſt, acri, ut ſit, in hiſce concertationibus altercatione nobiliſſimorum candidatorum. Eam ubi ornarat ſpartam, Præſesque fuerat Academia à S. Philippo Nerio dictæ & in eadem Univerſitate florentis, non minori contentione Perpetuus Eloquentiæ Profeſſor eſt deſtinatus, argue eam ob rem Magiſtrali Philoſophiæ inſulā redimitus. Prius vero Parochiam Cathedralis Eccleſiæ ad tempus tæxerat, interſtitioque factō, conſtitutus titulo canonico Parochus Eccleſiæ S. Sebaſtiani intra Urbis Mexicanæ pomeriā, huic poſtquam muneri exactè incubuit nihilo minores in Academicā profeſſione curas impendens, à Catholico Rege noſtro Ferdinando VI in Metropolitanæ Eccleſiæ Mexicæ Capitulum deſtinatus, Præbendā petitur, ea inſimul multisque alijs Eccleſiaſticis & Academicis curis inſiſtens. Et de his quidem hætenus, neceſſitudine, qua ipſum attingimus, ejus laudibus obſiſtente. Scripſit

Breviarum Theologicum de Deo ut uno.

Breviarum Theologicum de Attributis divinis.

Breviarium Theologicum de divina Scientia.

Inſtitutiones Rhetoricas.

Prælectiones & Orationes Academicas varias Poemataque.

Hiſpanā autem lingua

Sermones Panegyricos & Morales;

Quorum aographia sunt penes ipsum.

655 ILLMUS. D. D. D. CAROLUS BERMUDEZ DE CASTRO, Natione Mexicanus, Angelopoli Urbe, nobilissimis editus genitoribus, ipsorum accuratissime institutioni prono in litteras & virtutes genio respondit. Apud Regia SS. AA. Petri & Joannis Collegia inibi florentissima, Latio imbutus sermone & Rhetoricis præceptionibus, ut pietatem nullus ipse neglexerit, exemploque modestiã suã condiscipulis fuerit: Primus eos inter renunciatus, & in Mexicã Universitate laureã insignitus, in eisdem Patriã dictis Aulis Sacram Theologiam à gravissimis quatuor Viris acceptam, jugique dissertatione altius infixam coluit, adeo ut plausorem meruerit magnam certè Theologum, nec sine laude memorandum Antistitem Angelopolitanum Illmũ D. D. D. Emmanuelẽ Fernandez à S. Cruce, qui, ut erat litterarum amantissimus, Diocesibusque suã boni studiosissimus, nocturnis Collegiorum, penes Palatium ædificatorum, collationibus aderat, atque è notis sibi provectioribus Nostrom cum alijs in Fundatorem Eximij D. Pauli Theologorum Collegij adscivit. Gradu Mexicani accepto in Sacrà Facultate, utrique dare operam Juri constituit, & Civili primum totos quinque Academicos annos ad-

discendo posuit egregio successu lauroque obtentã; mox Canonicum nihilo minus auspicate aggressus est, ad extremumque durixit, & gradu clausit, minoribus quatuor quã tulerat insignibus, majora Doctoratus adjiciens, primum rubeo pro Imperialibus Legibus pileo ornatus, post viridi, quã Ecclesiastici professioni juris responderet, insulã institutus.

656 Interea loci, omnigenã ut ditesceret & selectissimã eruditione, Bibliothecam sibi haud exiguam, amenissimã certè paravit, è qua diu noctuque frequentatã, egregias tulit opes, in dies exercitatione, studio, ingenio, & memoriã ad stuporem usque crescentes. Et quidem ad humaniores quod attinet litteras & Latini sermonis elegantiam & copiam, ita antiquiores evolverat Poetas, Oratoribus asuesierat, Historicis triverat & Politicos, nullus ut ipsi inter eruditissimos sua ætate Mexici degentes, aut præferri potuerit aut æquari, quod reminiscimur judicium de ipso tulisse nobiscum familiariter colloquentem virum ut in Theologia & Oratoria, sic etiam in Poetica & omni literatura secundum nemini P. Lucam del Rincon Societatis JESU. Porro tanta nostro Latine dicenti ubertas erat & asuentiã sententiarum & testimoniorum opportunè ad res, de quibus agebat, traductorum amenissimã varietate sociata, ut his tempestivè usus, etiam

etiam è Cathedra quotidianas auditoribus lectiones exponens juribus, eosdem floridis irretiret illucijs, invitaretque plures audienti ergo Magistrum sapidissimã austeriores scholarum controversias varietate condientem, inspergentemque pulcherrimis dictis & phrasibus.

657 Adhuc, quod solennius profitebatur, utrumque Jus diligentissime, cum in Academia, tractabat tum etiam in Foro, causarum Patronus ab Regio Senatu publicã conclamatus approbatione, indeque plurimis & majoris momenti negotijs deditus agitandis, sæpe Causidicum agens, sæpe Judicem: nam & Exmũ Dux Alburquerqueius, Novã Hispaniã Pro-Rex oculatissimus, D. D. Franciscus Fernandez de la Cueva, Assessorem cum juris dicendi causã voluit & perpetuò habuit, & eodem nomine eo ad multos annos usi fuere Consules Mexicani pro negotiorum litibus extricandis, & Regium Auditorium in Provinciam ipsum Jucatanum dimisit Commissarium & Visitatorem Generalem, gravissimarum causã rerum, queis, superato Marte & pacatis difficultatum fluctibus, exactè providit: Illm. item Archiepiscopi Mexicani suis cum delegationibus cohonestarunt D. D. Seixas, Ortega, & Lanciego: atque is quem postremo nominavimus loco, Vicarium suum generalem designavit, quod supra decennium munitus strenuè

gessit, & Diocesis Gubernatorem quoties Præful visitationi incubuit, scilicet frequentissime. 658 In totò vero occurrentibus, intricatis planè & invidiã plenis negotijs, latus inter ad eo sententias, & ad Delegatos appellationis remedio deductas, ne una quidem abrogata aut irrita fuit. Tanta ille doctrinã pollebat, prædentiã, & in decernendo jure constantiã, gravioris momenti litigijs lectione superaddita productiore & meditatione, adeo ut amico suo P. Joachimo Antonio de Villalobos Societatis JESU Theologo, falsus ingenue fuerit, mox ut sententiam tulerat contra reum de homicidio proditorio convictum, in Ecclesiamque confugientem, nullum ex his Authoribus quos pro Immunitate Fiscalis Ecclesiasticus coacervaverat Libello edito, non à se fuisse lectum studiosissime (sunt autem illi 28) imò decem insuper alios evoluisse similiter, ut subinde priusquam sententiã ferret, in ea confirmaverit se ad aras facientem & proximè communicaturam. Candidatum postquã egerat doctissimis petitionibus Cathedralium, multas successivè tenuit utriusque Juris, quibus regendis totos posuit annos 26, donec Antecessoris Primarij & Emeriti Juris Canonici honorem tulit. Pro Canonicatibus iidem Officij, ut dicuntur, Angelopoli Mexicique decertans, Doctoralem omnium calculis suffraganrium adeptus in Ecclesiã Metropoli-

tanâ, cui jam adscriptus fuerat, Præbyter factus, insignitus Præbendâ, & Vicarius Archiepiscopi constitutus. His sanctè defungens muneribus, Ecclesiæ suæ iuribus vindicandis operam dabat, fovere pia quæque cordi sibi erat, & scandalis obviam ire, quæ nonnunquam in amplissimam Urbem tentant irrepere.

659 Exemplo erat omnibus vitâ Ecclesiastico vito Præsulique dignissima. Quotidie sacris operabatur egregiâ pietate, Monialibus in spiritu dirigendis nonnullis aderat, facilem se audiendis confessionibus dabat, pauperes misericordiâ complectebatur, elemosynisque subsidio erat, quibus reditus suos omnes addixerat, non modò propinquos, sed verò etiam extraneos, ut ut poterat, iuvans, parcissimè sibi & modestissimè providens. His porro ceterarumque exemplis virtutum unâ cum præclaris, quæ memoravimus, dotibus egregium sibi nomen paravit, amorique Reipublicæ erat & venerationi. Ab Illustri Proto-Parentis D. Petro Congregatione Abbas adscitus fuit, & apud Fidei Consistorium Mexicicum, penes quod jam diu carceratorum Patrocinium susceperat, Consultor est creatus, & mox Archiepiscopi Mexicani nomine Iudex Ordinarius.

660 A Catholico Rege nostro Philippo V, nil tale cogitans, destinatus Archiepiscopus Manilensis Ecclesiæ, quæ primas re-

net in Philippinis Insulis, honorem quamvis à se deprecari egregium tentavit, consulenti tamen & insistenti ut acquiesceret Mexicano Præsuli suo Illmo. D. D. F. Josepho de Lanciego, annuit tandem, à quo Catholico ritu 17 Junij anno 1725, consecratus, ad usque 1728 opportunam trajiciendo mari navem præstolarus & occasionem, interea Mexici Episcopalia peragens ministeria, in Asiam se contulit. Priusquam verò Manilensia attingeret littora, aut Marianas inviseret Insulas, morosis forte ventis & alijs casibus, ad incultas etiamnum alias appulit Gentilium frequentia Indorum haud ignobiles, è quibus plusquam mille sacro expiavit fonte auspicatam illis & sibi gratulans sortem, eandem que summis votis, quæ reliqua erat turbæ optans, precatus Deum, uti in multam illam mesem operarios immitteret. Erat quidem eximio lucrandarum zelo animarum, ut subinde eis totum juvandum se dederit, ubi constitutus Manilæ, Ecclesiæ suæ regendæ nervos & omnes conatus intendit. Universam Diocesim non semel & iterum, sed tertio etiam visitavit, pastoralibus crebro à se excellentis officijs, quantas pro redituum tenuitate poterat elemosynas piensissimè adjiciens, agrè que ferens non omnibus posse, ut ex animo optabat, egentibus subvenire.

661 Doctissimas habebat cõ-

ciones

iones in Dei gloriam, Sanctorum decus, & animarum profectum collimantes, quas pro eximiâ eruditione & eloquentiâ ad horam, longeque amplius protraherat. His & alijs, quæ oculatissimum decent Pastorem, macipatus, destitui cœpit viribus, zelo in primis tabescens, eo nomine, quòd non sibi suppetent, quas enixè discupierat, vie & facultates, cum pro amplificandâ in conterminis nationibus Fide, tum etiam oppitulandi miseris, & ofendicula aliquot submovendi, ut pro inde ab 5 Octobris 1729 mortè prælagierit sibi, quam præstolarus, domui suæ dispossuit & familiæ modestissimâ, atque Ecclesiasticis Sacramentis egregiè sensu pietatis munitus, animam Deo reddidit 13 Novembris anno 1729, ætatis suæ 61, & 10 mensibus, 9 que diebus. Corpus ejus 18 ejusdem Novembris in Cathedrali Metropolitana sua Ecclesiâ elatum magnificâ pompâ, cunctisque merentibus & Sacris & Prophanis Ordinibus, quibus fuerat humanitate & omni virtute acceptissimus Præsul insignis, sepulchrum fuit. Cor ejus, pro ut in postremis tabulis ordinaverat, Mexicum ad S. Laurentij Monasterium Virginum delatum, instaurato funebri apparatu, comitatuque frequentissimo & nobilissimo exceptum fuit Ecclesiasticis precationibus & Declamatione, quam è sacro fugestu dixit, appositissimâ Doctor

467
CA
& Magister D. Joseph de Elizalde, quondam semel & iterum Mexicana Academiae Rector, atque Ecclesiæ Metropolitanæ Præbendatus, quæ edita fuit Mexici apud H. V. Francisci Rodriguez Lupercio 1731. Tum Academicò ritu, Doctorum Confessus, & Collegiorum atque Scholiarium cæteris in Sacello suo amplissimo Doctore & Antecessori Emerito cum primis memorando, solennissime parentarunt, vespere Oratione Latina à Doctore Professoreque Juris D. Ignatio de Meia politissimè elucubrata, mane autem Hispano Sermone, cui strenuam dedit operam Doctor Theologus juxtaque Moderator ejusdem Facultatis D. Emmanuel Antonius de Luyando, peractis sacris, queis bene defunctorum animis Catholico ritu precamur. Adhæc publica itidem alia reddita fuere justa beneficentissimo Principi, ab Oratoriis Patribus, quos maximi fecerat, amoreque fuerat profectus & opéra: Ab Excalceatis Provinciæ S. Didaci Franciscanis, Carmelitæ item nudipedis S. Alberti Provinciæ, Mercedensibus Regijs Sodalibus Provinciæ à Visitatione dictæ, Illustri Proto-Parentis Divi Petri Congregatione, cui præfuerat Abbatis titulo; cæteris religiosi Ordines tanti jacturam viti dolentibus, in primisque Societatis JESU Patribus, queis vivens Carolus, siquis ullus, fuerat dilectione junctissimus,

Bz

mus, quosque in oculis tulerat. Nec segnius Angelopolitani doloris argumenta dedere, civem suum ornatissimum, ut par erat, luctuosissimè prosequentes. Edidit habitas à se Romano sermone, quas subnectimus Orationes his titulis.

Funebris declamatio in parentatione P. R. M. A. pijs manibus Illm. D. D. D. Joannis Cano Episcopi Jucatanensis. Mexici, 1695 in quarto.

Regia parentatio exorans pios matres Serenissima Maria Aloysia Gabriela de Emmanuele & Sabaudia, Hispaniarum Regina desiderata. Mexici, Litteris H. V. Michaelis de Ribera 1715 in quarto. Extat in Libro, cui titulus: Floræ plantus, una cum alijs Regij funeris monumentis Mexicis.

Parentalis declamatio in Regio luctuosissimo funere Ludovici Ferdinandi pijsimi Regis Hispani hujusce nominis primi: ante ortum & post obitum in tenera ætate desiderati. Mexici, ex Calchographia Josephi Bernardi de Hogal 1725 in 4. Habetur in Libro Stellarum plantus inscripto, qui Opuscula exhibet omnia ad prosequendum amantissimi Regis funus in Cathedrali Ecclesiâ Mexicâ recitata scriptaque. Recusæ sunt mox dictæ Orationes uno Volumine operâ D. Didaci Antonij Bermudez de Castro Regij ac Publicij Notarij & Scribe, Illm. Authoris cognati: Angelopoli ex

Typographia V. Michaelis de Ortega anno 1731 in quarto.

Hispano sermone edidit à se habitam Manilæ Concionem de S. Ignacio de Loiola hoc nomine:

Charitas absque exemplo, Magnus, in cunctisque mirabilis S. Ignacius de Loiola Societatis Jesu Fundator. Manilæ in Typographia D. Sebastiani Lopez Sabino 1729 in quarto. Extat in Collect. nostris tom. 7 prodijtque nuncupata Illm. D. Decano & Capitulo Ecclesiæ Mexicæ à P. Didaco de Orazo Societatis JESU Collegij Manilensis Rectore.

Ex ineditis ejus Academici Libri hæc nobis offerunt.

Commentaria in Titulum de Exceptionibus, extra, libro secundo.

Commentaria in Titulum de Probationibus, extra, eodem libro.

Commentaria in Titulum de Pæctis, lib. 6.

Commentaria in Titulum de Ordine cognitionum.

Commentaria in Titulum de Rescriptis in 6.

Commentaria in Titulum de Consuetudine in 6.

Commentaria in Titulum de Testamentis.

Commentaria in Titulum de Judicijs in 6.

Commentaria in Titulum 14 de Officio & potestate Judicis, &c.

Commentaria in Titulum de Præsumptionibus lib. 2.

Commentaria in Titulum de Appellationibus eodem lib.

Com-

Commentaria in Titulum de Sententia & re judicata.

Quæ recentita sunt Commentaria à multis Authoris Discipulis custodita, signatim fuisse penes D. Joannem de Imaz Esquer, vel certè pleraque, ab ipso accepimus, dolente de amissis charissimis sibi Voluminibus, quæ commodata Sodali cuidam, quo sint in præsentiarum loco divina re haud potest.

Scriptit præterea maternâ linguâ

Allegationes in Jure multas & varias.

Consultationes diversorum argumentorum.

Latio verò sermone

Prælectiones & Orationes.

Quas ut certum est conscripserit plures & vernantissimas, sic incertum ubinam inveniantur, an verò penitus interciderint.

Meminit ejus P. Julianus Guertierz Davila in Monumentis Historicis Congregationis Oraztorij Mexicanaensis part. 1. pag. 35 n. 77 & part. 3 pag. 92 n. 232.

Item P. Lucas del Rincon in præcitato Floræ plantu fol. 46 & 47, & D. Josephus de Villeras in citato itidem Plantu stellarum pag. 107 & 108. Memoratus autem supra D. Didacus Antonius Bermudez de Castro ejus edidit Parentationem funebrem pagg. 112. Illm. acta viri insinuavem laudantemque. Angelopoli, litteris V. Michaelis de Ortega anno 1731 in quarto.

662 D. CAROLUS CELEDONIUS VELASQUEZ, Natione Mexicanus & Patria, Collegij Tridentini Metropolitanæ Ecclesiæ nostræ à S. Paulo & Purissima Conceptione nuncupati, alumnus, Grammaticam inibi, Rhetoricam, Philosophiamque coluit, atque Academicâ ornatus laureâ Theologiæ se dedit, cujus itidem gradum tulit. Apud memorati Gymnasia Collegij Eloquentiam professus est, semelque & iterum Philosophiæ Cathedram moderatus sexennium in ea docendâ posuit. Ubi Rectoris vices egerat, Rector ipse varijs datus Patochijs fuit, quas, prævio candidatorum concursu, tenuit perpetuo titulo, primùm ei præfectus quæ Zumpahuacam audit, post Xaltocam dictâ, atque in præfenti de Capuluac nominatè, in quibus suas strenuè partes implevit, non in idiomate Mexicano minus peritus quam in gravioribus disciplinis. Scripsit

Cursum Philosophiæ juxta PP. Thomistarum systema elucubratum, cujus sunt penes Discipulos exemplaria.

Prælectiones itidem & Conciones varias quas Mss habet.

663 D. CAROLUS LOPEZ TORRITAS, Natione Mexicanus, in Angelopolitana, ut remur, Diocesi ortus, gradibus Magistris in Philosophiâ & Doctoratus in Jure Canonico insignis fuit apud Academiam Mexicam, cujus inter numeratus Antecessores,

CCCCC

CCCCC

pc-